

Sammelband G.

2
3
4
5
6
7
8
9
10
11

12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22



D. Va.
24

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
**JURE BONORUM
MATERNORUM,**

M. B.

QUAM,
DIVINA ADSPIRANTE GRATIA,
EX DECRETO ET AUTHORITYATE
Magnifici & Amplissimi JCtorum
Ordinis in Illustri ac perantiqua Electro-
rali Academia Heidelbergensi,

et Universitate

PRÆSIDE
VIRO Magnifico Nobilissimo & Consultissimo *Paterino*

**DN. JOH. FRIDERICO
BÖCKELMANNO,**

JCto Pandectarum Professore & p. t. Facultatis
DECANO Spectatissimo, ut & SERENISSIMI
ELECTORIS PALAT. Curia Aulicæ Vice-
Præside & Consiliario, Patrono ac Præceptore
suo plurimum honorando,

PRO
L I C E N T I A

*Summos In Utroque Jure Honores, Privilegia
ac Insignia ritè consequendi,
Publico Examini submittit*

JOH. CHRISTOPH. EZSHARD
NORDHUSANUS,

Ad Diem XXVII. Aprilis H. L. Q. C.
HEIDELBERGÆ,

Typis CHRISTIANI WALTERI, A. M. DC. LXV.



DISPUTATIO IN IURISPRUDENTIA
DE
IURE BONORUM

MATERIORUM

QUAE
DIVINA ANTIQVAE ET
EX DECRETO ET AUTHORITY
MAGNIFICI & AMPLISSIMI
CUM IN HUIUSMODI PERITIA
TALI ACADEMIA HABILITANTUR

P R A E S I D E N T I
VIRI DOCTISSIMO & OPTIMO
DNI JOH. ERIDERICI
BÖCKELMANNI

JOH. FANDEGARTNI LICEJOSI & P. A. FANDEGARTNI
DIGNO SPECIALLY & P. A. FANDEGARTNI
DIRECTORIS P. A. FANDEGARTNI
P. A. FANDEGARTNI & C. FANDEGARTNI
Suo primario honore

P R O
L I C E N T I A
Summo in Christo P. A. FANDEGARTNI

JOH. CHRISTOPH. GISSNERO
NORDHANSIAE
Ab Anno XVII. Anno H. B. G.

HEIDELBERG
Typis CHRISTIANI WALTERI, Anno MDCCLXXV





I. N. D. N. I. C.

T H. I.

Bona naturaliter talia dicuntur à beando, hoc est, quod beent vel beatos faciant. *l. 49. ff. de Verb. signif.* bonum namque dicitur id quod utile est, quodq; commodum habet, *l. 93. pr. Verb. quò bonum est. ff. de Solut. l. 83. ff. d. V. S.* Unde & formula illa solennis, *ap. T. Liv. l. I. c. 17. Quod Bonum, Faustum felixque sit.* Bonorum itaque proprium est ut profint, *d. l. 83.* Æs alienum autem non debitori, sed creditori prodest, ideo id debitoris in bonis naturaliter haut computatur *d. l. 49. de V. S.* Calvinus *in suo Lexico*, vocabulo *Bona.* Contra civiliter bona sunt, non solum quæ commodum, sed etiam quæ in incommodum secum ferunt.

T H. II.

Bonorum significatio varia est, etenim vox *Bona* sumitur i. latè, pro universo alicujus patrimonio, cum universa sua causa & consequentia, uti accipitur

A

in

in acquisitione per arrogationem, in bonorum venditione, in SCt. Claudiano, de quibus in *Tit. Inst. de Success. subl. quæ fiebant per bon. vend.* in *Tit. ff. De eo cui liber. caus. bon. add.* Et hoc modo non solum omnia bona, sed etiam jura & actiones comprehendit, *l. 49. de V. S. l. ult. ff. de Usufr. leg. l. 21. ff. de V. S.* Et actiones quidem siue legitimæ siue honorariæ, siue civiles siue pœnales, in bonis ponuntur. Exceptis popularibus & injuriarum actionibus, quæ lite demum contestatâ bonis adnumerantur, *l. 31. ff. ad L. Falcid. l. 28. ff. de Injur. l. 12. ff. de V. S. l. pen. ff. De pop. act. Zoës. Comment. ad ff. tit. de Obl. & Act. num. 73. 2.* Strictè, quod in substantia patrimonii siue bonorum cujusq; est, hac significatione & unam rem quæ in bonis est denotat, *l. 2. §. cujus bona. II. ff. de Vi bon. rap. & bona cujusque intelliguntur, quæ deducto ære alieno supersunt, d. l. 49. ff. de V. S. l. 39. Eod. Dn. D. Rebhan in Ho- doget. juris, Charta 2. Clim. 3. §. 86. Bacch. ad Treutl. vo- lum. 2. Disput. 19. Th. 5. Lit. C.*

TH. III.

Bona i. vel sunt mobilia vel immobilia: Mobilia iterum sunt vel in specie mobilia, ut vestis, aurum; vel se moventia, ut servi, animalia, quamvis hæc distinctio in jure non tam accuratè observetur. Immobilia rursus sunt vel naturâ talia, ut ædificium, fundus; vel per ac- cidens & juris intellectu immobilibus annumerantur i. ut metallifodinæ, *Bergwercken / bergtheilen vnd außbeiten / l. 3. §. fin. l. 5. princ. & §. 1. ff. de Reb. eorum qui sub tutel. Carpz. Lib. 3. Const. 25. defn. 1. & 2. Modest. Pistor. part. 3. Quest. 124. num. 87. 2. Pisces qui propagationis causa in stagno habentur, arg. l. 62. ff. de Usufruct. secus si custo- dia causa, quo casu rebus mobilibus accensentur, l. 15. in f.*

in f. de Act. Emt. (3) Annui Reditus, Nov. 7. pr. Carpz. lib. 3. c. 24. def. 1. Gail. 2. Obs. 10. (4) Mancipia & Servi adscriptitii, d. Nov. 7. pr. qui agris & glebæ adscripti & velut affixi sunt. Hæc adjectio vel qualitas mobilium, & immobilium restringit nomen BONA, ita ut jura & actiones planè excludat, cùm jura & actiones verè & propriè loquendo nec mobilia sint nec immobilia, sed tertiam speciem bonorum constituent, l. 15. §. 2. ff. de Re jud. Unde fit quod in legato, in obligatione, in donatione omnium bonorum mobilium & immobilium, præsentium & futurorum, ubicunque sint & esse possint, jura & actiones seu nomina Debitorum non veniant: Cùm jura & actiones naturaliter & ex usu loquendi manifestè separentur à bonis mobilibus & immobilibus. Bachov. ad Treutl. Diss. 19. Lit. c. vol. 2. Gœdd. ad L. 49. nu. 14. de V. S. Pinel. num. 24. & 25. Tract. de Bon. matern.

Т н. IV.

(2) Bona sunt vel allodialia vel Feudalia. Allodialia sunt, in quibus, quis plenum habet dominium 2. F. 17. §. 1. De verbo hoc vide Joh. Limnæum *ad Capitul. Ferd. III. Imper. art. 28. verb. Allodiallgüter.* Feudalia in quibus quis habet restrictum & ab alio dependens dominium, sub conditione fidei concessum, 2. F. 23. *in f. Struv. Syntagm. Jur. Feud. c. 2. §. 3. & in seq. Exeg. per tot.* ubi adhuc notandum, quòd sub generali Bonorum appellatione feudalia non veniant, nec generalis dispositio faciens mentionem Bonorum vel hereditatis ea includat. Paris. *vol. 1. Consil. 7. num. 1. 3. 4. 5. 6. 7.* Roland, à Valle *vol. 3. Consil. 29. num. 8. & seq. Befold. p. 4. Consil. 153. num. 51. 52. 53.* quoniam natura bonorum
A 2 feu-

feudalium est separata ab aliis bonis , & feudum non habetur jure hereditario *c. 1. de Success. Feud.* qua ratione inductum vasallum non posse de feudo testari , *d. c. 1. c. un. §. donare. tit. Qual. olim. Feud. pot. al. Berlich. Decis. 298. num. 31. & 32. Vultej. lib. 1. c. 9. num. 70. & seq.* Et hoc procedit in favorabilibus & in odiosis, unde bona feudalia non veniunt in confiscationem bonorum ; cum nunquam sub vocabulo Bona quantumvis generali, uti supra dictum, Feudalia comprehendantur, quod maximè locum habet in sententia, quæ cum juris sit stricti, strictè etiam est interpretanda, & ex sententia non præsumitur, nisi quatenus ex ea de necessitate infertur, præsertim in sententia confiscationis Bonorum, quæ est odiosa, *Pinell. in pr. Rubr. Tr. de Bon. Matern.* In dubio autem, quando scilicet non constat, an bona sint allodialia an verò feudalia, præsumtio militat pro allodialibus : Cum omnia bona potius libera & allodialia quàm feudalia esse præsumantur, *2. F. 26. §. inter filiam.* Si de Feud. defuncti contentio sit inter Dn. & agn. imò cum bona Feudalia singularem habeant qualitatem, hac non probata non aliter haberi potest ac si non adesset, *Berlich. Decis. 178. Struv. in Syntagm. Jur. Feud. cap. 16. §. II. Vultej. de Feud. lib. 1. c. 9. num. 60.* Hujus assertionis limitationes *Berlich. d. D. recenset.* Hæc ad meliorem sequentium explicationem enarrasse sufficiat, plura qui scire desiderat adeat *Petr. Sanz. eleg. Tract. de Divisione Bonorum.* Nunc ad ea quæ propius materiam propositam attingunt nos conferimus.

TH. V.

Bona materna sunt quæ à matre vel ascendente per lineam maternam ad liberos, sive dispositione inter vivos, sive ex testamento, sive ab intestato, quocunque modo devo-

devoluta sunt , l. 1. l. 2. C. de Bon. Matern. Perez. Com. in Cod. tit. de Bon. Matern. num. 2. Schot. in Exam. Jurid. h. t. Dicuntur & bona adventitia, quæ hætenus eodem jure censentur, quòd hodie non solùm bona materna, sed omnia bona adventitia patri non acquirantur l. 1. & passim. C. de B. M. & t. t. C. de Bon. quæ Lib. Scip. Gentil. Tr. de Secund. Nupt. c. 16. Aliàs Adventitia latius patent quàm materna, Quod ad Jus autem patris & filii, non differunt materna & Adventitia , vide Brunneman ad l. 6. C. de Bon. quæ lib.

TH. VI.

His opponuntur (1) Bona profectitia & paterna, quæ filiusfamilias è re Patris vel ejus occasione acquisivit. Nam si quis patri donaturus filio det , profectitia sunt, l. 5. pr. §. 1. & seq. de Jur. Dot. l. 6. de Collat. l. 18. §. 6. de Vulg. & Pup. Substit. §. 1. Inst. Per. quas person. Quid autem si quid pervenerit ab ipso patre ad filium, intuitu solius filii, non ut augeatur res paterna, adventitium sit an verò profectitium ? Profectitium esse asserit Colleg. Argentor. cùm proprium sit peculii adventitii, nunquam à Patre sed semper à filio vel intuitu filii advenire, d. Colleg. Tit. de Pecul. Th. 3.

TH. VII.

(2) Bona Castrensia in militiâ Sagatâ acquisita sunt, l. II. ff. de Castr. Pecul. l. 1. C. Eod. Quasi castrensia ex militia togata , seu ex officiis publicis, l. ult. C. de Inoff. Testamento. l. 6. in fin. pr. C. de Bon. quæ lib. l. 14. C. de Adv. divers. Jud. l. 1. §. 25. ff. de Collat. Filiifamilias Adseffores de his bonis , quamvis in patria potestate sint constituti, tam inter vivos quàm mortis causa liberè disponunt , & haben-

habentur loco Patrum familias , l. 2. in f. ad S^Ctum Maced. l. 6. §. fin. de Injusto Rupto Irrit.

TH. VIII.

Olim Liberis bona nulla erant , siquidem omnia Patri acquirebantur per filios , sine ulla rerum exceptione & distinctione , adeo quidem ut ne momento uno in filiorum persona dominium consistere dicatur , l. 79. de Acquir. vel om. Hered. t. t. Per quas person. Sed omnia bona quemadmodum profectitia pleno jure , hoc est , quoad proprietatem & usumfructum ad Patrem pertinebant , §. 1. Inst. Per quas pers. Et mortuo patre inter liberos dividebantur & conferebantur , l. 13. C. Fam. Ercisc. l. fin. C. de Collat. Sed Republica in Principum potestatem redacta , coeperunt separari Castrensia : Denique Constitutionibus & praesertim Justiniani sancitum est , ut in omnibus bonis maternis & adventitiis liberis dominium , Patri Ususfructus quaereretur. Emancipatis autem Liberis pro tertia parte domini dimidia quaereretur Ususfructus , l. 1. l. 5. & l. 6. §. 3. de Bon. qua Lib.

TH. IX.

Causa efficiens acquisitionis Domini in bonis maternis à parte filiorum est (1) Lex naturalis seu Philostorgia , quâ matres praesertim liberos suos prosequuntur , & salutem eorum omnibus modis quaerunt. Omnia enim quae nostra sunt , liberis nostris ex voto & ex naturali charitate paramus , l. 15. de Inoff. Testam. l. 50. §. 2. de Bon. Libere. Quam anxiam curam Parentum Cicero in Orat. 7. in Verr. vivis quasi coloribus depingit : Habemus liberos , incertum est quam longa nostrum cujusque vita sit futura , consulere illis vivi atque prospicere debemus , ut illo.

illorum solitudo & pueritia quàm firmissimo præsidio sit munita. Vis naturæ in bestiis inspicere potest, quarum in fœtu & educatione laborem cùm cernimus, naturæ ipsius vocem videmur audire. (2) Lex Civilis quæ ex parte assistit Legi naturæ.

T H. X.

Causa efficiens remota, quæ nimirum Patri usumfructum bonorum maternorum tribuit, est Societas conjugalis, & pietas quam conjuges sibi invicem debent, *arg. l. 41. ibi. beneficio affectionis & pietatis. de Leg. 3. Gen. 2. vers. 24. c. 1. de Conjug. Lepros.* (2) Æquitas, æquum enim est ut superstiti conjugi aliquid in solatium amissæ conjugis, & ad sublevanda onera matrimonii, quorum potissima pars in educatione liberorum consistit, remaneat, ne afflicto addatur afflictio, *l. 14. ff. de Off. Præs. Causa efficiens propinqua est partim Lex; quæ immediatè paternum hunc usumfructum constituit, l. 1. C. de Bon. Matern.* Competit enim patri ipso jure (1) in bonis liberorum non emancipatorum maternis & adventitis, *§. 1. Instit. Per qu. vers. cuique acq. l. 6. C. de Bon. que Lib. l. 1. C. de Bon. Matern.* (2) in præmium emancipationis patri in dimidia parte bonorum emancipatorum, *§. 2. Inst. Per qu. pers. d. l. 6. §. 3. C. de Bon. que Lib.* Quo ipso hic ususfructus legalis differt à communi usufructu, qui factò hominis constituitur, vel pactionibus inter vivos atque contractibus, *l. 3. ff. de Usuf.* vel præscriptione, *§. 2. Inst. eod.* vel ultima voluntate, *§. ult. Inst. de Servit. Præd.* Partim Patria potestas, quæ tantùm datur in liberos ex justis nuptiis procreatos, *l. 3. Qui sunt sui vel al. jur. & §. 1. Instit. de P.P.* Fluit exinde filios spurios vel Naturales, vel alios non legitime natos,

natos , non esse sub potestate patris , Harpprecht, *in pr. Inst. num. 16.* Faber *in suis Rational. ad l. 24. de Stat. Hom.* Quanta olim fuerit patria potestas exinde videre est, quòd cum Dominica eadem quoad rerum omnium acquisitionem, ut constat ex *d. §. 1. Inst.* & quoad jus vitæ necisque, prout apparet & *l. 11. ff. de Lib. & Posth. l. ult. C. de P. P.* Patre quidem non nisi iusta ex causa occidere valente , Domino autem sine illa. Jure tamen novo & acquisitio bonorum ad certum modum restricta est , *d. §. 1. Inst.* & jus vitæ necisque Parentibus ademptum. Vestigium tamen aliquod hujus juris durat in filia adulterâ , quam occidere patri permittitur, idque ratione pat. potestatis , quæ jure communi manebat etiam in liberos conjugatos , *l. 1. §. fin. ff. de Lib. Exhib. l. 6. §. 2. l. 20. ff. ad L. Jul. de Adult.* Non tamen omnis sublata est modica liberorum coercitio, ut & jus distrahendi liberos ob famem summamque necessitatem , *l. 2. & ult. C. de Parent. qui lib. distr.* Matri tamen nec ususfructus nec ullum jus pat. potestatis competit, etiamsi illi eadem pietas debeatur , *l. 4. ff. de Curat. fur.* & ex indulgentiâ Principis ad solatium liberorum amissorum adoptio sit concessa, §. 10. *Inst. de Adopt.* quo casu pat. potestatem non nanciscitur, sed solummodo succedendi ab intestato jus ei confertur, nam potestatem in adoptatos sexus prohibet. Si enim mater nec naturales quidem filios in potestate prius habuit , *d. §. un.* multominus habebit adoptivum. Donell. *lib. 2. Com. Jur. Civ. c. 22.*

TH. XI.

Objectum sunt Bona materna, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia , *l. 17. C. de Jur. Dot. l. 16. de Fund. Dot. l. 58. ff. Sol. Matr.* & in sequentibus consistunt (1) in Dote, cujus verum & naturale domini-
nium

nium penes mulierem manet , *l. 30. C. de Jur. Dot. l. 75. ff. Eod.* Sic thesaurus in fundo dotali inventus pro dimidio cedit uxori , non alia ratione quam quia est domina , *l. 7. §. 12. in f. Sol. Matrim.* Simili ratione si quid per alluvionem accedit , ad emolumentum mulieris pertinet , *l. 10. §. 1. l. 73. de Jur. Dot.* Struv. *in Syntagm. Jurispr. Ex. 30. §. 13.* Hahn. *ad Wesenb. num. 7.* ac simul habet tacitam hypothecam, cum privilegio prælationis in bonis mariti contra ejus creditores , non tantum excipiendo, verum & agendo & vindicando , Richter. *Tr. de Concurf. Cred. d. 2. num. 3.* Joh. à Sande *lib. 2. Def. Frific. 2.* Cæterum nullum dubium est , quin pater in dote adventitia , quemadmodum in cæteris bonis maternis & adventitiis, quoad vitam usufructum habeat Jure Civili Romano : Nam moribus nostris usufructus ille plerumque expirat , quando filius familias separatim œconomiam instituit , Brunneman. *ad l. 4. C. de Bon. que liberis.* Adde Gronovveg. *ad l. ult. C. Comm. de success.* Majus dubium est an dos profectitia, mortua uxore sed relictis liberis, apud maritum maneat , an ad patrem revertatur ? Et si veritatem theoreticam & hæcenus dicta inspiciamus, ad patrem reverti asserimus, per *l. 6. ff. de Jur. Dot. l. 71. ff. de Evict. l. 12. ff. de Pact. Dotal. l. 48. Sol. Matrim.* Quanquam contraria sententia in Praxi frequentioribus Dd. calculis approbata & recepta. Confer Bachov. *ad Trent. vol. 2. Disp. 7. Th. 10.* Hahn. *ad Wesenb. num. 3. tit. de Jur. dot.* aliosque ibidem allegatos. Sed quia hæc opinio usu fori introducta , est contra jus scriptum , dictitans dotem datam ad patrem uxoris indistinctè reverti debere, idcirco ut odiosa strictè accipienda, non de dote tantum promissa sed revera data , Gail. *2. Obs. 79. Mynsing. 5. Obs. 99. & 100.* Si autem dos non tantum promissa , sed etiam

B

data

data fuerit , liquidum non est inter Dd. , an mortuo , ex filia prædefuncta , nepote , dos ad Patrem defunctæ filia revertatur , an verò apud patrem istius nepotis remaneat. Posterius lubet defendere (1) etiamsi bona defuncto nepoti obtigerunt ab adscendente remotiore, nempe avo , nihilominus adscendens qui defuncto proximior est , in his quoque bonis succedit , exclusis remotioribus , & pater uti proximior in successione intestati excludit avum , *Nov 118.* (2) Hæc dos non potest amplius considerari , ut dos filia , sed ut Nepotis hereditas. Ergo non potest reverti ad avum , sed pertinet ad patrem jure legitimæ successionis , *Ranchin. in Tr. de Success. ab Intest. §. 14. num. 4. 5. 6.* Si filii supersunt, dotem & omnia lucra Pater reiterans nuptias, liberis primi matrimonii, quoad proprietatem reservare tenetur , *l. 15. C. de S. N.* cum statim ipso jure dominio omnium lucrorum quæ à conjugè defuncta perceperat privetur, applicaturque liberis retento sibi dum vixerit solo usufructu , *d. l. 5. verb. dominium.*

TH. XII.

(2) Ad materna bona referuntur quæ mulier ex donatione propter nuptias accepit. Hujus donationis conditio hæc est , secundùm *Schneidevvin. Rittersh. & DD. comm.* quòd uti dos ad maritum , ita & hæc donatio ad uxorem transeat , adeò ut non tantùm in ea tantam hypothecam habeat , sed etiam sit in ejus dominio. Ac proinde soluto vel etiam durante matrimonio, si maritus ad inopiam vergat , mulier agere potest hypothecariâ , imò res tali modo donatas à quocunque possessore vindicare , *l. 29. cum Auth. seq. C. de Jure Dot. Barbosa. ad d. l. 29. & Auth. Nisi à me. C. ad Sctum Vellej. Wissenb. tamen Disputat jur. Civil. 14. Th. 10. docet , Nec posses.*

possessionem nec dominium rei propter nuptias donatæ transire in mulierem, per *l. 19. 20. l. 29. C. de Jure Dot. junct. l. 45. ff. d. R. l. Nov. 61. c. 1.* & Fructus tamen rei donatæ non æquè lucratur uxor, sicut maritus fructus dotis, sed soluto matrimonio, postquam ei de dote satisfactum est, restituere debet quicquid hoc nomine datum. *c. fin. ext. de Don. inter Vir. & Ux.* Interim non est simplex donatio, sed ob causam, quæ per natiuitatem sequentium liberorum non potest revocari, *l. 20. ff. de Don. ante nupt.* necesse tamen ut actis insinuetur *d. l. 20. ibique Barbof.* De Jure tamen novissimo insinuatio à parte mulieris non requiritur, sed tantùm à parte viri, *Nov. 127. c. 2.* Ad donationem propter nuptias referendum hodie est dotalitium, *der Widdumb.* cujus de Jure Feudali ut constitutio sit efficax, domini requiritur consensus, *2. F. 9. §. donare. c. 6. ext. de Donat. Int. Vir. & Ux.* Consuetudine tamen receptum est, ut in compensationem dotis in rebus feudalibus constituatur dotalitium. Quod onus nec Dominus nec agnati aut simultaneè investiti possunt detrectare, licet vivus maritus de dotalitio uxori, in casum; quo ipse præmoriatur, haut providerit, *Struv. in Syntagm. Jur. Feud. c. 14. §. 9.*

TH. XIII.

In maternis bonis etiam esse censetur munus sponsalitium, quod Sponsus benevolentiae mutuae gratia invicem donavit propter spem futuri matrimonii. Quæ sponsalitia donatio non revocatur ob captivitatem vel mortem Sponsi, *l. 11. C. de Donat. int. Vir. & Ux.* Secus esse ait, si Donator mortem sibi ob sceleris conscientiam consciverit, vel etiam post mortem memoria damnata sit, *Barbof. ad L. 11. §. fin. num. 6. ff. Sol. Matrim.* Et ad

d. L. II. C. de Don. int. Vir. & Ux. vel ob non secutum
matrimonium. De Jure antiquo Digestorum & Codicis
ante Constantinum, in donationibus inter Sponsos factis
requirebatur expressio conditionis, vel causæ, scilicet
quod fiebat propter matrimonium futurum, aliàs cense-
batur donatio simplex & statim valebat. Constitutione
verò postea Constantini nulla expressione opus est, sed ta-
lis donatio simpliciter facta ex ipsa legis dispositione, &
ex præsumpta voluntate partium, habet in se tacitam con-
ditionem, si matrimonium sequatur, *l. 15. C. de Don.
ante Nupt.* Mortuo ante nuptias Sponso, Sponsa pro
osculi præmio retinet medietatem rerum sibi à Sponso do-
natarum, *l. 16. Eod.* Quod si Sponsus vel Sponsa licitè
à Sponsalibus recedat, alterius culpa, ut fornicatione,
vel profectio in terras peregrinas, nec tempore debito
redeat, lucratur etiam osculo non interveniente sponsa-
litiæ largitatem sibi donatam, recuperatque quam de-
dit, *d. l. 16. vers. quod si Sponsa.* Subsecuto matrimonio, si
maritus velit res antea donatas alienare, vel alteri obligare,
non auditur, neque ejus Creditores res in Sponsam do-
nationis gratia collatas avocare poterunt, nisi probaverint
eas res sibi prius fuisse obligatas, *l. 13. de Donat. ante
Nupt. Perez. in Cod. eod. tit.* Cæterum quemadmo-
dum Dos, ita & donatio propter nuptias, Sponsalitiæ
largitates, & omnia lucra nuptialia quæ titulo lucrativo
penes conjugem resident, liberis prioris matrimonii
conjugis binuba integrè relinquere debet: Non verò titu-
lo oneroso, puta Emptionis, Venditionis à marito qua si-
ta. Pinell. *in l. fin. num. 30. C. de Bon. Matern.* Scip.
Gentil. *Tr. de Secund. Nupt. c. 14. l. 3. C. de Secund. Nupt.
ibique Barbosa. num. 21.*

(4) Consistit in Bonis paraphernalibus & Receptitiis : In quibus muliere prohibente maritus se non potest immiscere , *l. 8. C. de Pact. Convent.* Ea tamen consentiente & tradente, potest custodiam & administrationem eorum suscipere , prout pro legitimo procuratore ad exigendum passim habetur , dominium verò paraphernalium non transfertur , *l. ult. C. de Pactis Convent.* licet fructus & usuras circa se & uxorem , & sic in promiscuos usus conversas , non teneatur restituere uxori ejusque heredibus , *d. l. ult.* quia sunt percepti ac consumti ex voluntate uxoris. Sortem integram servare debet , & ubi uxor sibi de hypotheca in bonis viri non prospexit , lex ei tacitam hypothecam in his concedit , absque tamen privilegio prælationis , quoniam privilegium prælationis soli doti est concessum , *Zœf. ad π. tit. de Jur. Dot. Mynsing. cent. 5. Obs. 5. d. l. fin. C. de Pact. Conv.* Si nimirum non amplius extant. his verò adhuc extantibus , non saltim tacitam habet hypothecam , sed potius jus , nempe Rei vindicationem , *Richt. Tr. de Jur. & Privilegiis Cred.*

Plurima alia Bona materna , ut sunt Gerada , Comestibilia , Morgengaba , hic loci adduci possent , sed quia hæc pro diversitate Regionis variant , & potius integrum Tractatum desiderant , ideo hæc libens volens prætereo. Possunt de his videri *Goldtbeck de Jure Gerada, Finckelth. Hartm. Pistor. Lib. 1. qu. 32. Berlich. 3. Conclus. 48, num. 7. 8. 9. 10.* Ad quos lectorem hac vice remitto. Generaliter tamen hic monendum , maximè omnium in perceptione vel redditione bonorum maternorum (1) consuetudinem vel statutum ejus loci , ubi

maritus habet domicilium, non autem ubi de ea danda conventum, vel dotale instrumentum conscriptum fuerit, attendi oportere, *l. 65. ff. de Judic. l. fin. §. 3. ad Municipal.* Et hoc est verum etiam si maritus rursus post contractum matrimonium domicilium mutaverit. Nam attenditur consuetudo illius domicilii, quod erat tempore quo fuit contractum matrimonium: Quia attendi debet locus ubi fuit orta obligatio. Siquidem animi destinatione matrimonium videtur contractum in domicilio mariti, *d. l. 65. verb. in cuius domicilium ipsa mulier erat itura.* Secus si vir contraheret in domicilio uxoris inde non recessurus, tunc inspicitur domicilium Uxoris ubi fuit celebratus contractus, quod probatur satis apertè in *d. l. 65. verb. itura.*

T H. XVI.

(2) Pacta dotalia si extant, ea quam diligentissimè inspicienda atque attendenda sunt: Ea enim quatenus non adversantur bonis moribus, derogant juri communi, statutis & consuetudinibus locorum. Quanquam pacta de futura successione in contractu matrimoniali adjecta vix de Jure Civili licita, *l. 5. C. de Pact. Convent. Ernest. Cothman. vol. 1. Resp. 21. à num. 22. usque ad n. 32.* universali tamen Germaniæ consuetudine recepta sunt, & hætenus legibus nostris derogatum est, *Gail. 2. Obs. 126. num. 3. & seq. Mynsing. dec. 14. Resp. 4. num. 22. & seqq. Andreas Kohl. Tract. de Pact. Dotal. p. 2. num. 10. & seqq.* Quæ pacta, ut & illa mixta quæ non solum continent dotis & donationis propter nuptias promissionem, sed & de futura successione conjugum inter se agunt, verbis ultimæ voluntatis concepta, sapiunt naturam Donationis mortis causâ & ultimæ voluntatis, quapropter quinque
Testium

Testium præsentiam requirunt. *l. ult. C. de Donat. M. c.*
 & possunt vel alterutrius aut utriusque conjugum con-
 sensu mutari, *Wes in π. de Pact. Dotal. num. 4. Cothm.*
vol. 1. Resp. 21 num. 19. 20. & seq. Possunt etiam pacta
 dotalia per se in vim pacti & contractus subsi-
 stere, modò per verba contractus aut donationis inter
 vivos fiant, dilato saltim tempore solutionis in diem mor-
 tis, adeoque duorum saltim testium præsentiam requi-
 runt, *l. 42. §. fin. ff. De Mort. c. don. arg. l. 9. C. de Testib.*
 Et adeò sunt efficacia, ut altera parte invita ab his non
 liceat alteri discedere, *Cothm. d. Resp. & vol. 2. Resp. 78.*
num. 169. Carpz. p. 2. Const. 43. defin. 56. & seqq.

TH. XVII.

In dubio denique bona, ut ea quæ constante
 matrimonio quæsitæ, præsumuntur regulariter quæsitæ ex
 bonis viri, *Mascard. vol. 1. Conclus. 30. & vol. 3. conclus. fin.*
Boer. Conclus. 82. num. 1. Sed si probari potest, uxorem
 ante matrimonium illa habuisse, & in dotem non assigna-
 ta, secus est. Idem dicendum, si appareat illa bona,
 constante etiam matrimonio, ex aliquo titulo illi obvenis-
 se, aut acquisivisse ex mercatura, *Boër. d. decis. num.*
3. & 4.

TH. XVIII.

Materia in qua sunt personæ Pater & Filius, &
 sic consequenter. Filio debetur proprietas & dominium
 bonorum maternorum & adventitiorum: Patri verò
 quoad vitam ususfructus eorum, *l. 1. C. de B. M.* etiamsi
 furiosus sit & mente captus, *l. 8. de His qui sunt sui Jur.*
 adhuc enim durat patria potestas & effectus acquisitionis,
 qui non amittitur nisi certis modis, inter quos non est
 furor, de quo infra *Th. 19.* plura. Imò hæc acquisitio
 usus-



ususfructus fit ipso jure , *l. 79. de Acquir. & amitt. her. l. 1. & t. t. C. de B. M. Anton. Fab. in suis Rational. add. l. 8.*

TH. XIX.

Non tamen in omnibus adventitiis Liberorum Pater habet usumfructum , sed sunt quædam quæ pleno jure , seu quoad dominium & usumfructum filiofamilias acquiruntur. Eorum novem recensentur species in jure nostro (1) Si quid ab aliquo , fuerit filiofamilias donatum ac relictum , ea lege ne ad patrem veniat ususfructus , *Nov. 117. § 1. Auth. Excipitur. C. de Bon. que Lib.* ita ut si filius sit minorennis , res ei donatæ debeant administrari à Curatore , quem Donator vel Testator dedit , quod ei permissum est *l. ult. C. de Confirm. Tut.* (2) Si filius unà cum Patre veniat ad successionem Fratris aut sororis , Nam hodie Pater unà cum Fratribus defuncti admittitur ad ejus successionem , cum olim ab iis excluderetur , *Auth. defuncto. C. ad Scitum Tertull. Auth. Item. C. de Bon. que Lib. Nov. 118. c. 2.* (3) Si quid ex lege obveniat filio , *Auth. idem est. C. dict. t. Nov. 134. c. 11.* (4) Si quid à Principe vel Augusti filio fuerit donatum , *l. 7. C. de Bon. que Lib.* (5) Si filiofamilias servus sub hac conditione donaretur , ut statim eum iterum manumittat , *l. 8. §. fin. d. t.* (6) Si citra patris voluntatem alienam adeat hereditatem , *l. 8. pr. C. Eod.* Olim si filiofamilias deferebatur hereditas , in totum patri acquirebatur , ut & alia bona adventitia , adeoque propter onera hereditaria , ad quæ successor obligabatur , non nisi jussu Domini hereditatem etiam maternam adire poterat , *§. 3. Instit. Per quas person. l. 45. § fin. de Acquir. vel omitt. hered. l. 6. pr. ff. eod.* Quod tamen Constitutionibus Imperatorum , maximè Justiniani in *l. 6. & 8. C. de Bon. que Lib.* immutatum,

tum , secundum quas si Pater suscipiat , consensus filii requiritur , *l. fin. §. 3. C. d. t.* & quidem concurrente ita filii & patris consensu , non filio integra ; sed Patri usufructus , filio proprietas acquiritur , *l. fin. §. 3. d. t.* Quod si tamen Filius recusaverit , soli patri adire liberum , & is plenam consequetur proprietatem , *d. l. fin. §. 2. & 3.* Si Pater recusaverit , soli Filio aditio hereditatis adventitiæ competit , & eo casu pleno jure acquirat , *d. l. fin. pr.* Aliquando autem accidit ut pater filio consentire nequeat , quia fortè furiosus , & tunc hujus non dissensus habetur ex benignitate juris pro consensu , *l. 52. l. 63. de A. vel O. Her.* Quod si fortè aditione hereditatis fuerit læsus adhuc puer , beneficium restitutionis illi datur , sive consentiente sive recusante patre damnosam hereditatem adiverit , vel ipse cum patre vel solus repudiaverit , *d. l. ult. §. 1. in fin. d. t. Scip. Gentil. c. 21. Tr. de Bon. Matern.*

TH. XX.

(7) Pater non habet usumfructum in Feudo adventitio & materno , A. De Reiger *in suo Thesauro Juris , sub vocab. Bona. num. 123.* Quia tacitè videtur hoc actum in investitura Feudi adventitii , ut ipse filius habeat totum usumfructum , ut possit inde feudo servire. (2) Quia in Feudis delatis & concessis filio , sive sint Regalia sive non , usufructus non quæritur Patri , quia Feudum est Servitus quædam , *l. 13. in pr. de Usufr.* jam si usufructus Patri acquireretur , esset servitus servitutis , quod est impossibile , *l. 1. ff. de Usu & Usufr. Leg.* (3) Quia Pater non succedit filio in Feudo , Ergo nec ei acquiritur per feudum. Consequentia hæc probatur in *l. 18. de R. I.* imò adscendentium in Feudis successio nulla est , sive antiquum

C

tiquum

riquam five novum , *c. Un. 2. F. 50. Svevus Exere. Feud. 6. s. 10.* (5) Si filius tenetur ratione Feudi fervire domino, quomodo Pater honestè habebit usumfructum Feudi ? cùm filius ita esset duplici onere gravatus , scilicet præstando servitium Domino , & præstando usumfructum Patri , Quod iniquitatem præ se ferret , & quando quis gravatus est in uno , scilicet in præstatione servitii , debet relevari in alio , Roland. à Valle *Conf. 71. n. 65.*

TH. XXI.

(8) Pater non habet usumfructum , nec filius proprietatem in iis bonis , quæ mater per furta , per latrocinia , & per violentas acquisitiones comparavit , quia delictorum turpis est quæstus , *l. 53. 54. 55. 56. 57. ff. pro Soc.* cùm ipsa mater & ejus successores ad restituendum obligati sint, tam in foro soli quàm poli, unde justius abstinendum est à talium lucrorum communione , quàm eorum inhiandum participationi.

TH. XXII.

(9) Beneficii Ecclesiastici , quod à Summo Pontifice vel ab Episcopo collatum in filiumfamilias fuit , Pater neque legitimam administrationem neque usumfructum habet. Quia nec ad ipsum filiumfamilias , sed ad Ecclesiam proprietas beneficii spectat , neque in hujusmodi causis attenditur Jus patriæ potestatis , sicut nec in ceteris quæ ad jus publicum pertinent , *l. 14. princ. ff. ad SCtm. Trebell.* imò potius habetur pro peculio quasi castrensi , Ant. Faber *in Cod. Def. 5. Tit. de Bon. qu. Lib.*

TH. XXIII.

Jam enarravimus Bona adventitia irregularia , & supra

supra diximus quod Testator vel Donator Patri possit adimere usumfructum. Videndum nunc est an tacita & præsumptiva ademptio sufficiat, Ut si Testator disposuit, quod bona in pupillorum proprium commodum, & non in alterius usum, debeant converti, & eorum patrimonium inde augeri, vel si bona integra absque diminutione restitui jubeantur; an verò expressa requiratur. Et Tacitam non sufficere sequentia argumenta evincent: In *Nov. alleg.* 117. c. 1. ad hoc ut Patri ususfructus adimatur, hæc forma præscribitur, ut sub hac conditione donator vel Testator relinquat vel donet, ne patri ususfructus acquiratur: quemadmodum id ex toto contextu *d. Nov.* 117. c. 1. *post pr.* apparet. Jam expediti juris est, quòd per conditionalem dispositionem inducatur certa forma & substantialis solennitas, quæ in forma specifica est adimplenda, ut non sufficiat per æquipollens, *l. 44. pr. & §. 3. l. 45. l. 55. de Condit. & Demonstr.* Zæf. ad *π. tit. de Cond. & Demonstr. num.* 35. Berlich. *Decis.* 136. Dissentit Bœrius *Decis.* 193. quæ opinio etiam in Praxi obtinet, quemadmodum testatur Berlich. *d. decis. per alleg. Dd.*

TH. XXIV.

Adhuc quæri potest, Utrum Matri vel Avix, cum relinquunt filio vel Nepoti hereditatem, liceat usumfructum Patri in legitima liberorum adimere? Negativam defendit Bœrius *decis.* 194. *num.* 1. & Fachin. *lib.* 5. *Controvers.* c. 21. *per tot. per Nov.* 117. c. 1. *vers. sancimus.* Ubi Justinianus indicat, prius relinquendam esse legitimam jure debitam, nulla adjecta conditione, sed in eo quod ultra relinquitur, eam conditionem adiici posse, ut pater non habeat usumfructum. Non licebit Ergo eam adicere conditionem in legitima portione à lege debitâ. Et ratio

rio ibidem allegata hoc omnium solidissimè evincit, quòd scilicet Avus vel alius ascendens ideo in reliqua substantia hereditatis Patri usumfructum auferre possint, quòd Pater de Injuria aliquà conqueri non valeat, quoniam hanc substantiam etiam aliis extraneis relinquere possunt.

TH. XXV.

Forma juris Bonorum maternorum quod Pater habet, consistit. (1) In facultate utendi fruendi, quæ Patri competit, & quidem salva proprietate quæ remanet penes filium. (2) in plena administratione: Pater enim debet omnem tuendæ rei diligentiam adhibere, & sumptus ex fructibus impigrè facere, & litem inferentibus resistere, atque ex fide agere, tanquam legitimus & optimus Administrator. (3) In legis delatione, qua paternus usumfructus distinguitur à communi usufructu. Faciliore autem negotio formam cognoscemus, si jura & prærogativas, quæ non solùm Patri ratione usufructus, sed & filio ratione domini competant, item onera quæ utrique incumbant, paulò uberius in sequentibus exponamus.

TH. XXVI.

I. Prærog. Si alius Usufructuarius dicitur quodam modo Dominus, ut fit *l. 4. ff. de Usufr.* multò magis dicetur Pater Legitimus Usufructuarius & Administrator, habens usumfructum bonorum maternorum, qui omnia excepta alienatione potest gerere, ac si perfectè Dominus esset, *l. 6. §. 2. ibi. plenissimam potestatem uti fruique his rebus, quæ per filiosfamilias dicto modo acquiruntur. C. De bonis quæ Lib.* & gubernatio earum rerum sit penitus impunita: Et nullo modo audeat filiusfam. vetare eum in cuius potestate est, easdem res tenere, aut quomodo voluerit gubernare. Quæ potestas nullibi tam ampla datur extraneis

traneis usufructuariis. Quam differentiam etiam confirmat *l. 8. §. 4. in fin. C. de Bon. qua Lib.* De quibus in sequentibus plura.

TH. XXVII.

2. Constituto usufructu usufructuarius extraneus cavere debet, se usurum boni viri arbitrato, & cum usufructus ad eum pertinere desinet, restitutum quod inde extabit, *l. 1. pr. & §. 6. ff. Usufr. quemadm. cav.* Quod si Usufructuarius cautionem non præstiterit, non solum actionem, quam pro consequendo usufructu habet, cum effectu intendere nequit, *l. 13. pr. ff. de Usufr. l. 6. pr. & §. 1. ff. Ut in possess. Legat. c.* sed etiam re tradita si usufructus nomine satisfidatum non fuerit, durante usufructu dominus tam cautionem quam rem ipsum condicere potest, *l. 7. pr. ff. Quodmod. Usufr. cav. l. 5. ff. de Usufr. ear. rer.* Ab hoc onere cautionis liberant Parentem novæ Constitutiones, *l. 6. §. 2. & in l. fin. §. sin autem. ff. de Bon. qua Lib.* idque ex maxima confidentia & reverentia, quam leges habent de Patre erga liberos; nec ejus bona ut Tutoris sunt tacito pignori obligata, *l. 6. §. 2. & l. ult. C. de Bon. qua Lib.* Cessat tamen hæc prærogativa, & pater hanc usufructuariam cautionem præstare tenetur (1) In rebus fungibilibus maternis & adventitiis, & quæ usu consumuntur, Scip. Gentil. *Tr. de Bon. Matern.* (2) Sicut bona Matris, ita Patris nuptias iterantis, obligata sunt liberis pro lucris conservandis; ac etiam pro aliis bonis à matre, maternave lineâ ad filium translatis, *l. 8. §. fin. C. de Secund. Nupt. l. 12. vers. Exceptis. C. Qui pot. in Pign. l. 6. §. ult. C. de Bon. qua Lib. Pinell. ad L. 1. de Bon. Matern. p. 2. num. 31.*

(3) Cujusvis Usufructuarii & Administratoris est, qui se in alienas res admiscet, inventarium conficere & rationem reddere administrationis suæ, *l. 11. §. recte. de Usufruct. quemadm. cav.* Pater tamen in bonis adventitiis per eum administratis non tenetur neque inventarium conficere, neque rationem reddere administrationis suæ, *l. 6. §. cum autem. 3. C. de Bon. quæ Lib.* quia inventarium illis faciendum est, qui tenentur rationem reddere, non aliis, *l. 32. C. de Episc. & Cler.* Sed Pater non tenetur rationem reddere, *d. §. non autem. C. de Bon. quæ Lib. l. 8. §. fin. C. de Secund. Nupt.* Ergo nec ad Inventarii confectioem obligatur, imò frustrà erit. Honestius tamen facit Pater vel avus si faciat inventarium, cum bona Liberis & Nepotibus reservare teneatur, *Scip. Gent. c. 11. Tr. de Bon. Matern.* Sed quando filius est emancipatus, vel quando pleno jure bona pertinent ad Liberos, Quia tunc habetur pro extraneo, tenetur Pater rationem reddere administrationis suæ. Sic cum Pater materna bona malè administravit aut dissipavit, tacitè ejus bona certis casibus obligantur, *l. 6. §. fin. Corn. vol. 3. Consil. 105. in f.* Ad removendum autem Patrem ab administratione bonorum maternorum, & ad obliganda bona & reddendam rationem, exigitur dolus, nec sufficit culpa. Aliàs licet Parentes malè administrarent illas res, quas coguntur restituere liberis, propter proprietatem, quam habent liberi in illis; tamen filii non possunt movere quæstionem, hoc est, non possunt obiicere illis, tu malè administras, *l. 6. §. 2. de Bon. quæ Lib.* quia contra decorum est, ut filii sint Objurgatores Parentum. At hoc non simpliciter est verum, sed intelligendum est secundum *legem 50. ff. ad Scim. Trebell.*
nisi

nisi Pater vel dolo versaretur in illis rebus , vel eas alienaret : Quia hoc casu potest quæstio moveri & res ei auferri , & Bona ea sunt tacite obligata , & tenetur Pater rationes reddere , *l. 6. §. 2. verb. omnia circa &c. Pinell. ad L. 1. C. de B. M. p. 2. num. 34. Sichard. ad L. 6. de Secund. Nupt.* Incipit autem ista tacita hypotheca statim ab initio administrationis paternæ , non demum eo tempore , quo Pater aliquid malè administrare coepit , *d. l. 6. §. ult.*

TH XXIX.

(4) Nulli Usufructuario , etiamsi ei usufructus sit legatus , licet propriâ autoritate capere possessionem fundi , vel ingredi in quo usufructus ei debetur , *l. 1. ff. Quor. Leg. l. 5. ff. de Acquir. vel amitt. Possess. l. 5. C. de Leg.* At Pater propria autoritate usumfructum legitimum capere & administrare potest , neque opus ulla traditione iudicis aut filii. Quia quidquid filius olim jure profectitii , vel etiam hodie ad ventitii apprehendit , id statim possidet pater , *l. 1. in pr. ff. Si quis à Par. manumiss. & l. 79. ibi. confestim acquiri neque momento aliquo. de Acqu. vel Omitt. hered.* De quo hodie nihil est immutatum , præterquam in sola proprietate adventitorum , *t. t. C. de B. M. & de Bon. qu. Lib.* (2) quia ipsa lex non solum plenam potestatem in rebus adventitiis tribuit , sed etiam omnem administrationem , *l. 1. C. de Bon. Matern.* Ergo ipsa lex sine hominis facto defert possessionem Patri. (3) Filius punitur qui vetat patrem possidere res adventitias , Ergo possessionem Pater ipso jure habet , non acceptam à filio , cum nullibi dicatur filium debere possessionem patri tradere , sed non impedire quò minus possideat , *l. 6. §. 2.*

de

de Bon. qu. Lib. Paris. Consil. 37. num. 2. lib. 3. Gentil. d. Tr. cap. 14.

TH. XXX.

(5) Cùm Usufructuarius nihil juris habeat in ipsam rei proprietatem, domino prohibitum non est, durante adhuc usufructu proprietatem ipsam alteri vel obligare, vel quovis modo alienare, *l. 2. Cod. de Usufr.* Salvo jure usufructuarii. Ususfructus verò paternus ejusmodi alienationem nullo modo permittit, sed filio facultatem suam proprietatem alienandi, hypothecæ titulo dandi, citra eorum voluntatem, quorum in potestate sunt, interdicit, *l. 8. §. 3. vers. Filiis autem familias. Cod. de Bon. que Lib.*

TH. XXXI.

(6) Non tamen omnibus oneribus caret Ususfructus hic Legalis, quanquam omnia emolumenta, quacunque ex re perveniant, ad usufructuarium pertineant, *l. 7. princ. §. 1. & seq. ff. de Usufr.* Sed onera, vectigalia, Tributa, quæ enumerantur, *d. l. 27.* pater Usufructuarius ut extraneus sustinebit. Cum Possidens fundum & percipiens fructus teneatur ad solvendum censum & onera realia, quamvis contrarium cum eo convenerit à quo rem habet, cùm hæc rem sequantur, *Paris. Vol. 1. Cons. 52.* Hoc tamen adhuc in paterno usufructu peculiare est, quod Pater, penes quem maternas rerum usufructus est, debeat omnem rei tuendæ diligentiam adhibere; quod jure filiis debetur, per se vel per procuratorem exigere, & sumptus ex fructibus impigrè facere, imò litem inferentibus resistere, *l. 1. C. de B. M.* At extraneus usufructuarius in quæstione tangente solam proprietatem, immunis est à subministracione expensarum. Tenetur autem siquid movetur circa ejus usumfructum, cùm regulariter non obstrictus sit Usufructuarius ad sum-
tus

tus extrinsecos extra refectioem modicam rei, l. 8. //
de Usufr.

TH. XXXII.

(6) Pater Usufructuarius tenetur filio alimenta subministrare, modò cum Patre cohabitare velit filius, ad quam cohabitationem, nisi sævitia Patris filium excuset, eum compellere potest, l. 1. in f. l. 3. §. 5. De Lib. exhib. Boer. Decis. 195. num. 5. & 6. Si Pater iniquè deneget filio alimenta, effectus patriæ potestatis amittit, Gl. l. pen. verb. Pœna. ad fin. C. de P. P. l. 1. §. 3. de Lat. Libert. toll. Imò liberis etiam succurrendum adversus Creditores Patris, ut ex bonorum dotalium fructibus alantur, si aliunde non possint. Plus enim juris proprietario est in re sua, quàm Creditori in re sibi obligata, Faber in Cod. Sabaud. def. 6. Tit. de Bon. Matern. Ab hoc onere alimentationis vulgaris usufructuarius est exemptus. Et tantum de juribus prærogativis & oneribus Paternis.

TH. XXXIII.

Nunc ordinis ratio postulat, ut de Juribus filiofamilias in bonis Maternis competentibus videamus. Quoniam autem ea, datâ occasione, sparsim in præcedentibus attigimus, & potissimum circa effectus tractanda veniunt, ideo hic eò breviores erimus. Et consistunt partim in actionibus, quas filiusfamilias vel contra Patrem vel contra extraneos movere potest, (2) in dispositione, an aliquo modo de Bonis adventitiis disponere possit. Quod vulgò dicitur inter patrem & filiumfamilias, quia habentur pro una persona, l. fin. C. de Impub. & alior. Substit. litem subsistere non posse l. 4. ff. de Judic. neque inter eos subsistere obligationem civilem, §. 6. Inst. de Inut. Stipul. l. 2. de Contr. Emt. l. 4. & l. 11. ff. de Judic. id neutiquam

D

proce-

procedit in bonis castrensibus , quia in iis habetur pro Patrefamilias , *l. 2. in f. ad Sctum Maced. l. 6. de Injust. Rupt. Irrit. l. 52. §. 6. ff. de Furt.* neque in adventitiis, quorum intuitu lis potest esse inter patrem & filium , cum eorum dominium filio acquiratur , & filiofamilias acquisita sit obligatio quoad jus & dominium , *l. 1. C. de Bon. Mat. d. l. 2. ad Sctum. Maced. d. l. 6. de Injust. Rupt. d. l. 52. §. 6. ff. de Furt. Sichard. in Cod. ad l. 6. de Securd. Nupt.* Adhuc probatur per rationem *in d. l. 52. §. 5. allegatam*, in illis verbis: *cum habeat unde satisfaciat.* Atqui Filius habet dominium adventitiorum bonorum , ex quo patri solvere potest , Ergo Patri omnino obligatur , & cum eo agere potest. Si verò de bonis adventitiis & maternis agere velit, necessariò requiritur consensus Patris, *l. ult. in f. pr. C. de Bon. quæ Lib. l. ult. C. de Annal. Except.*

TH. XXXIV.

Vivo Patre Filio exigua admodum est dispositio & potestas in bonis maternis & adventitiis regularibus. De bonis adventitiis irregularibus major est dispositio ac potestas. In his enim filiusfamilias liberè inter vivos disponere , non verò testari potest , *Nov. 117. c. 1. §. 1.* propter verbum *diomeiv* , quod significat disponere , & Testamenti factionem non comprehendit , sed administrare significat , Teste *Ungebavero in Exercit. Justin. 8. Quæst. 6. Rittershus. p. 5. Novell. c. 15. num. 8. & 9.* Probat hanc sententiam quoque *l. 11. C. qui Testam. fac. poss.* quæ lex non *ad l. 6. sed ad l. 8. C. de Bon. qu. Lib.* referri debet. In qua bona ita distinguuntur quemadmodum vult *d. l. 11.* Ad Contraria argumenta respondet *Ungebaver d. Exercit. qu. 6.*

TH. XXXV.

TH. XXXV.

(3) Jus & favor liberorum simul cum tempore crevit, ita ut promulgatis Constitutionibus Constantini & Justiniani, contra illos non currat praescriptio, *l. i. in fin. C. de Bon. Mat.* intellige ordinariam, & de iis bonis in quibus patri usufructus acquiritur. Non de castrensibus & quasi castrensibus, nec de iis bonis adventitiis in quibus patri nihil acquiritur currit praescriptio; quia in his non militat ratio excusans filium, quia agere non potuit, *Auth. nisi tricennalis. C. de Bon. qua lib.* in illis verò cessat. Non excluditur tamen extraordinaria & tricennalis, quæ omnem actionem tollit, *l. 8. princ. C. de Praescript. 30. vel 40. ann. l. 24. ff. de Usurpat. & usucap.* ubi habetur hæc regula, Ubi prohibita est alienatio, ibi prohibetur usucapio & longi temporis praescriptio. Pinell. *in Authent. d. nisi tricennalis. C. de Bonis Mat. num. 22.* Corne. *conf. 294. vol. 2. sub fin.* Perez *in Cod. Tit. de Bon. Matern. n. 8.*

TH. XXXVI.

Currit illud tempus praescriptionis postquam exierint ex patria potestate, non durante adhuc impubertate seu pupillaritate, *d. Authent. Novell. 22. c. 2.* cum non valenti agere nulla currat praescriptio, *l. fin. ad finem. ff. de Annali exceptione*, si modò sit impedimentum juris negantis jus agendi, ut hic negatur filiofamilias in adventitiis, tunc enim praescriptio cessat, quòd si impedimentum facti sit, praescriptio non cessat, sed ex causa restitutio datur, Pinell. *in d. Authent. num. 42.* Böer, *decis. 40. num. 3.* Sed an restitutio in integrum adversus praescriptionem istam triginta annorum jam completam, filio concedenda sit ex causa ignorantiae magna? Dd. inter se discordant: veriùs videtur

videtur , quòd contra ejusmodi præscriptionem non de-
tur restitutio , ne frustra jura loquentia de præscriptione
sint statuta. Apertè probat nostram sententiam *l. fin. C.
de Præscript. longi temporis.* ubi ea præscriptio currit tam
contra ignorantem quàm adversus scientem ; magis pro-
bat ratio ejusdem legis , quæ stare non potest si restitutio
admittatur , ibi nulla scientia vel ignorantia expectanda,
ne altera dubitationis inextricabilis oriaturoccasio.

TH. XXXVII.

Finem cur Patri jure novissimo ususfructus tantùm
in bonis Maternis & adventitiis assignatus sit , exprimit
Imperator , *in l. 6. pr. C. de Bon. que lib.* Ut scilicet ju-
ri Patrio ita satisfiat ne filii lugeant. Nam proprietas
si etiam ad patrem transfret , & ab hoc ad alios , puta fra-
tres & extraneos transferretur , id nimis triste ac luctuo-
sam foret liberis , qui videre cogerentur , vel sudores suos
vel etiam fortunæ indulgentiam , ac liberalitatem in alios
transferri, *l. 6. C. de Bonis que lib.*

TH. XXXVIII.

Effecta bonorum maternorum sunt sequentia 1.
Potissimum perspicitur in successionis materia , ubi bona
materna maternis , ac paterna paternis , deferuntur.
Harpprecht. *pr. Inst. de Hered. que ab intest. deferunt. n. 441.*
Donellus *lib. 9. Comment. Jur. civil. cap. 4* Berlich. *part. 3.*
Conclus. 20 num. 4. & seqq. Dissentit Baldus , Salicetus,
Fulgosius , Fachinaus , Treutlerus , & alii. Eo nimi-
rum in casu, quando defunctus relinquit tam consangui-
neos , quàm uterinos. Ita ut consanguineus excludat
uterinum in bonis paternis , & uterinus consanguineum
in

in bonis maternis, Schneidw. *ad tit. Inst. de Hered. qua ab intest. def.* Idem jus procedit in horum fratrum liberis : In nepotibus & ulterioribus non attenditur, Schneid. *d.l. num. 22. Berlich. part. 3. concl. 20. n. 6.*

TH. XXXIX.

2. Quod planè acquiratur proprietates filiis, Patri usufructus, *Novell. 22. §. si verò expectat. vers. & ii quoque filii. l. 6. pr. C. de Bon. que lib. §. 1. Inst. Per quas personas cuique acq.* Ac proinde pater hæc bona tanquam adventitia, in quibus tantum usufructum habet, alienare vel hypothecæ supponere nequit, *l. 1. in fin. C. de Bon. Mat. l. ult. C. de Rebus alien. non alienandis.* Scipio Gent. *Tr. de Bonis Maternis, c. 13.* Circa bona tamen liberorum potest vel transigere vel compromittere. Nec enim tam strictè cum patre agendum est, cum nulla lex reperiatur quæ transactioni vel compromisso interdicit, sed potius plenissimam potestatem ei tribuant *l. 1. C. de Bon. Mat. & passim. C. h. t. l. 1. C. de Bon. que lib.* Ergo quoque hæc duo compromittere & transigere 1. patri permissa sunt; Excipitur enim sola alienatio & hypothecæ suppositio ab illa libera potestate. Jam exceptiones confirmant regulam in casibus non exceptis, *l. 12. §. 42. & 43. ff. de Fundo & Instrum. leg. 2.* Pater ob causas necessarias alienare res adventitias potest, *l. 8. §. 2. C. de Bonis que lib.* Talis autem causa videtur esse transactionis & compromissi, cum non sint nisi de rebus controversis. 3. quia pater omnino potest actiones movere & exercere in iudicio in his rebus, *d. l. 6. §. 4.* Ergo. Per-



missa tamen est alienatio, si subsit causa necessaria, l. 7. ff. de Fund. dot. quemadmodum fit æris alieni vel legatorum vel fideicommissorum solvendorum gratia. Ideò si Pater res adventitias ob necessitatem æris alieni alicui distrahere neglexerit, tenetur solvere debita ex suo usufructu unà cum usuris, l. ult. C. de Bon. Mat. l. 6. §. 2. C. de Bon. qua lib. l. 13. ff. Familia hercis. item quæ tempore perirent, seu quæ servari non possent, vel quæ sine utilitate sumptuosa essent, quasi tunc alienandi causa necessaria sit, l. 5. §. 1. ff. de Jur. delib. ibi. tractu temporis deteriores, & ibi. sumptuosa veluti jumenta &c. & ibi. as alienum quod sub pœna vel pignoribus debeat. l. 56. ff. de Petit. hered. l. 8. ff. de Minorib. l. 22. in fine. C. de Administr. tut. l. ult. C. de Bon. Matern. Non sufficere tamen videtur justa & necessaria causa alienationis adventitiorum immobilium, sed insimul requiri videtur decretum judicis, l. si magis puto. §. si as. l. si fundus sterilis. ff. de Rebus eor. l. 5. ff. de Jur. delib. prout statuit Mynsing. Cent. 6. Obs. 61. In patre tamen alienante diversum obtinere puto; his non obstantibus, cum ita securus redditur emptor d. l. ult. §. pen. ibi. sine periculo vendere paternæ pietati licet. Neque leges hæ novæ decretum in alienandis adventitiis bonis requirunt; deinde quia idem constitutum est in Episcopo administratore & patre pauperum, ut possit sine decreto eorum res immobiles alienare, l. 21. C. de SS. Eccles. Scip. Gent. d. Tr. cap. 19. Anton. Faber. in Cod. Tit. de Bon. qua lib. defin. 3.

TH. XL.

3. Quòd hæredem ab intestato habere possit filius in bonis hisce, Olim non, Sed pater occupabat hæc

hæc jure peculii , uti hodieque peculium adventitium , *l. quod scitis. 3. C. de Bon. quæ lib. l. ult. C. Comm. de success. & Authent. De hered. quæ ab intest. §. 1.* Olim mortuis omnibus filiis & descendantibus, plenum dominium ad parentem redibat. Hodie verò ad hæredes quoslibet & extraneos , præter partem quam parens exceperat , quo casu deficerent liberi. *Novell. 2. c. hoc autem. §. cum igitur. Novell. 22. & §. quoniam infirmas. Authent. ex Testamento. & Authent. sed ei si quis. C. de Secundis nupt.* Quod confirmant Novella & Constitutio Sacratissimi Imperatoris 68. jubens hoc observari in successione liberorum & nepotum , quæ tunc temporis nondum fuerant delatæ, quod mortuo filio habente bona materna seu adventitia ea ad liberos , his non extantibus ad fratres , & denique his deficientibus demum ad parentes transferantur , *l. fin. C. Comm. de success. l. 3. & 4. C. de Bon. quæ lib.* Jure tamen Novellarum concurrat pater cum fratre, *Novell. 118. c. 2.*

TH. XLI.

4. Quòd pater emancipando filium dimidiam partem ususfructus quasi pro pretio emancipationis retineat , *§. 2. Inst. Per quas pers. l. 6. §. 3. C. de Bon. quæ lib.* quod in tantum obtinet , ut etsi pater in emancipatione sibi expressè hoc præmium non reservaverit , nihilominus tamen dimidius ususfructus ei retineatur , *l. 6. §. 3. C. de Bon. quæ lib.* 5. Quòd filiusfamilias vivente patre de hoc peculio adventitio & materno non testari, nec illud inter vivos invito patre alienare possit , *l. fin. §. 5. vers. filius autem. C. de Bon. quæ lib. l. ult. C. de Rebus alien. non alienand.*

TH. XLII.

6. Quòd si filius committat delictum, propter quod bona ejus confiscanda sunt, adventitia tamen non confiscantur nec patri auferantur, *l. 43. §. 1. ff. de Jur. fisci. l. fin. §. 5. vers. filiis autem. ibi. citra voluntatem. C. de Bon. quæ lib. argumento l. 3. ff. de Bonis Proscr. Fachin. Lib. 9. Controvers. c. 47.* Interest enim patris, non tantum ratione ususfructus competentis non amitti à filio bona adventitia, sed etiam propter jus & spem successionis, in quo jure non debet filii delictum patri nocere, & rem patri in eum eventum destinatam ac debitam auferre. *Donnell. in Comm. ad Cod. ad l. si quis in tantam. 7. C. Unde vi. num. 14. Faber. in Cod. Sabaud. definit. 4. Tit. de Bon. quæ lib.* Ad contraria respondet *Emanuel. Mendez. in Comm. ad d. l. 6. C. de Bonis quæ lib. part. 1. Rubr. de Confiscatione peculii adventitii ex delicto filii familias. num. 86. & seqq. p. 124.* 7. quod hæc bona adventitia non conferantur in hereditatem paternam, *l. fin. C. de Collat.* quoniam proprietatis jure patri non sunt quæsitæ, quamvis in hisce bonis pater habuerit ususfructum qui morte extinctus est, *d. l. ult.* Quid si ususfructus paternus & legitimus filio sit remissus vel cessus, eritne extra collationem? quod negat *Cujacius ad Novell. 18. argumento d. l. ult.* ubi ideo non conferuntur adventitia, quòd suo jure liberi ista bona habeant, non etiam quòd à patre. Igitur quod patri acquiritur, uti ususfructus adventitorum, si illum sibi concessum habeat filius à patre, in collationem veniet, ne aliàs causetur inæqualitas quoad alios liberos: Contraria tamen probabilior est, quæ fundata

fundata est in *l. 6. §. 2. in f. C. de Bonis. qua lib.* ubi usufructus quem filius consensu patris possidebat, extra collationem esse dicitur, illumque eum lucrari post mortem patris, nec transmitti posteritati vel successioni patris, *Carpz. p. 2. Constit. 10. defn. 14.* Nec est quod quis obiiciat, è bonis patris usumfructum abire, ad filium verò venire, nam ille non tam amittit quàm non acquirit, hic non tam acquirit quàm non amittit, *l. 5. §. 1. ff. de Donat. inter vir. & ux. l. 6. in pr. ff. Quæ in fraud. cred. Perez. C. de Bon. qu. Lib. n. 8. 8.* quod pro debitis filii non possit fieri executio in adventitia bona, vivente & invito patre, *Emanuel Mendez. d. l. num. 153. argumento l. fin. §. 5. vers. filii autem. C. de Bonis qua lib. 9.* quod pater tanquam legitimus administrator omnia possit agere, tam in quàm extra iudicium, ratione hujus peculii, *l. 1. C. de Bonis. Mat.* Sed hoc obiter monendum. Neque ea quæ ad effecta vel causas retulimus, Logicorum regulis fortè ex asse consentire, neque propria effecta solius juris bonorum maternorum esse.

TH. XLIII:

Diximus Th. 41. quòd alienatio adventitiorum patri prohibita sit, jam reliquum est, ut de vi hujus interdictionis, deque remediis filio à lege datis videamus. Si igitur pater res adventitias alienaverit, alienatas revocare ac vindicare potest pater filii nomine, & filius proprio, propter dominium competens, *l. 1. in fin. C. de Bon. Mat.* quod aliàs ex trita illa regula absurdum est, Quem de evictione tenet actio, eandem agentem repellit exceptio, *l. vindicantem. 17. ff. de Evid. Resp. E enim*

ibi enim repellitur venditor si venit jure proprio contra alienationem quam fecit, prætendens forte se ex nova causa dominium affecutum. Hic autem pater obligatus non ex sua persona revocat, sed nomine filii ut administrator. Scip. Gent. c-18. de filio nullum dubium est, quin rescindere, revocare, & vindicare possit res materni generis, à patre alienatas, etiamsi alienationes consentiente filio sint factæ, cùm ea adeò nulla sit, ut nec si patris heres sit filius, eam ratam habere cogatur, quod enim contra leges factum, approbari nec debet nec potest, Faber in Cod. Sab. definit. 2. de Bonis Mater. An autem patre vivente vel mortuo alienationem rerum adventitiarum revocare possit filius? non est adeò expeditum. Nos amplectimur sententiam eorum, qui statuunt, filium patre superstite posse contra ejus factum venire & revocare contractum, arg. l. 50. ff. ad SC. Trebell. ubi auditur filius qui conqueritur de iniquâ patris alienatione, in bonis in quibus tantum spem non dominium habet, Ergò à fortiori audiri debet in bonis adventitiis quorum habet proprietatem. (2) Impedimentum juris est tantum ex potestate patriâ, non verò ex vita patris d. Authent. nisi tricennalis. (3) in d. Authent. in favorem liberorum tantum non curvit præscriptio, durante adhuc patria potestate, non tamen iis præcisâ est facultas agendi contra alienationem (4) rationibus filii magis consulitur si res integra servetur, ne lapsu temporis difficilior reddatur ejus persecutio aut revocatio, maximè cùm Dd. tradant, mortuo patre filium heredem non admitti contra alienationem. Pinell. ad l. 1. part. 3. num. 74. & Authent. nisi tricennale. num. 44. & seqq. Perez in Comm. Cod. in tit. de Bonis, Mat. num. 6.

Contraria seu modus quo amittitur jus materno-
rum bonorum, partim est communis cum vulgari jure
ususfructus, partim proprius hujus paterni. Communis
maximè est, quod morte naturali patris ut usufructuarii
solvatur, *princ. Inst. Quibus modis patria potest. solv. l. 5. ff.*
De his qui sui vel alieni juris. l. 3. §. fin. ff. h.t. §. 4. Inst. de
Usufructu. l. pen. C. eod. 2. capitis diminutione, §. 4.
Inst. de Usuf. l. 1. pr. ff. Quibus mod. usufr. vel usus fini. verum est de
maximâ & mediâ non minimâ, *l. pen. §. 2. C. de Usuf.* A qua si
restitutione Principis plenaria quis liberatur fuerit, quid obti-
neat, vide *l. 3. ff. & l. 1. & 2. C. de Sent. pass. & rest.* Ho-
die sublatis veteribus istis capitis diminutionibus, ad ex-
emplum earum banno Imperiali finitur, *Gail. 2. Obs. 86. n.*
10. Joh. Herm. Stam. de Hominibus propriis, lib. 1. tr. 3.
c. 7 & 4. Quid si pater capitis damnatus vel bannum
Imperiale passus sit, an ususfructus transeat ad fiscum
quamdiù pater vivit? Neutiquam, cum statim ac pater
damnatus est ususfructus filio cedit, & cum proprietate
consolidatur, quia in peculio profectitio eadem ratione
constitutum est, ut id separetur & adjudicetur filio, pu-
blicatis bonis patris ejus, *l. 3. §. utrum. in fin. ff. de Mino-*
ribus. Si id juris est in peculio profectitio multò magis in
adventitio, quod ad eum in solidum patre mortuo perti-
net. 2. quia patria potestas causa efficiens ususfructus so-
luta est statim poenâ patris, *l. fin. C. de Sentent. pass. l. 2.*
C. de Bonis proscript. 3. quia id nusquam reperitur, fisco
applicari hunc usumfructum debere, & in causis dubiis po-
tius contra fiscum debemus respondere *l. non puto. 10. ff.*

de Jure fisci. 3. Non utendo per modum & tempus, d. §. 4. *Inst. de Usufruct.* l. 20. & 25. C. eod. Tempus autem indistinctè, sive usufructus sit rei mobilis vel immobilis, est decem annorum inter presentes, 20. verò inter absentes, l. pen. C. de Servit. & aqua. l. fin. C. de Præscript. longi temp. quod si tantum alternis mensibus usufructus sit concessus, tunc 30. vel 40. annis præscribitur, secus si alternis diebus ac noctibus, l. 7 ff. *Servitutis quemad. amitt.* junctâ l. fin. C. de Serv. & aqua. 4. Interitu aut mutatione rei in qua usufructus debetur, d. §. 4. *Inst. de Usufructu.* l. 23. & seqq. ff. *Quib. mod. usufr. am.* l. 5. §. 2. & 3. ff. eodem. quod intelligendum est de totali rei interitu, nam si ex parte res corruat, in altera parte quæ superest, subsistit, l. 23. ff. *de Usufruct.* non tamen prorsus extinguatur ut communis, sed cum re restituta reviviscit, quia durat adhuc patria potestas, quod speciale est in hoc usufructu legati. 5. Remissione, si enim pater usumfructum lege oblatum non perceperit, sed liberis administrationem permisit, censetur illis usumfructum donasse. Unde patre defuncto coheredes quicquam percipere nequeunt l. 6. §. non autem. 2. C. de Bon. que lib.

TH. XLV.

Propries modis solvitur 1. Emancipatione, postquam enim liberi emancipati sunt, sibi ipsis solis omnia in solidum acquirunt, nihil patri, l. 1. ff. *Per quas personas.* Excepta virili portione usufructus in hereditate materna vel materni generis, non in aliis adventitiis bonis, l. 3. C. de Bonis Mar. Hodie emancipatio tacitè fieri præsumitur, si pater liberis suis res suas tacitè habere permittat: de jure

jure Saxonico quando liberi majorenes à parentibus se
 separant, vel seorsim habitant, propriam œconomiam in-
 stituunt, (ut refert & hujus consuetudinis testes cumulat
 multos Berlich. *part. 2. Pract. conclus. 17. num. 23. & seqq.*)
 pro emancipatis habentur. Jure Romano liberorum nu-
 ptiis jus usufructus & patriæ potestatis nec minuitur nec
 solvitur, *l. 12. C. de Collat. l. pen. C. de Dotis Collat. l. 7. C.*
de Liberis exhib. l. 1. C. de Bon. que lib. Aliud receptum
 apud plerasque Europæ nationes, prout pluribus testatur
 Joh. à Sande *lib. 2. def. 5. in Decis. Frisicis.* Alb. Gent. *Tract.*
de Nuptiis lib. 3. c. 1. Boër. *Decis. 97. num. 3.* 2. Amittitur
 patria potestas dignitate, olim quidem sola patriciatûs,
 §. 4. *Instit. Quibus mod. patr. potest. solvit.* à patria potestate
 liberabat, *l. ult. C. de Consulibus.* hodie verò quælibet
 quæ à Curia liberare solet, cujusmodi 12. enumerantur in
l. fin. C. de Decurionibus, quibus annumeranda Episcopalis
 dignitas, *Authent. sed Episcopalis. C. de Episc. & Cleric. Novell.*
81. c. 3. Ita autem liberati à patria potestate suorum here-
 dum & cætera legitima jura, quæ dependent à patria pote-
 state, intacta retinent *d. Novell. 81. c. 1.* Non verò Doctoratus,
 Carpz. *part. 2. const. 10. def. 4.* Treut. *volum. 1. Disput. 2. Th.*
ult. Lit. C. l. 4. C. de Advocatis. l. 1. & l. ult. in fin pr. & §.
fin. C. de Inoff. testament. Ex quibus apparet disertissimos
 judiciorum Advocatos, in quibus unà cum eloquentia ju-
 ris & legum scientia requiritur, nexu patriæ potestatis non
 fuisse liberatos, Ergo verisimile est nec doctoralem digni-
 tatem liberare. 2. quæ dignitates non liberant à curia, il-
 læ etiam non liberant à patria potestate, *d. Novell. 81.*
c. 1. Sed sola Jurisconsulti dignitas non liberat, *l. ult. l.*
36. C. de Decurion. lib. 10. Novell. 38. pr. & §. 3. Ergo. 3.
 quia patria potestas solvitur jure, sed nullum jus est, quo
 intro-

introducitur sit dignitatem doctoralem filium à patria potestate liberare

TH. XLVI.

(4) Mod. Expositione infantum, l. 2. C. de Infant. exposcit. Patriâ potestate indignus est pater, qui filios exponit & alimenta denegat, & per consequens indignus usufructu paterno tanquam commodo.



S. D. G.



De usufructu Paterni in suo Diss. aynter.
Cont. Diss. de usufructu paterno Tubing.
im. Diss. Tubingenses 30. d. 20
ibz. q. est ultima




99 A 6998


ULB Halle 3
002 836 947


V. 17

Retro ✓







B.I.G.

Farbkarte #13

D. Va.
24

INAUGURALIS

NORUM

ORUM, *M. B.*

ANTE GRATIA,
AUTHORITATE
issimi Jctorum

perantiqua Electo-
cidelbergensi, *et Universitate*

I D E
mo & Consultissimo, *Paterno.*

IDERICO
IANNNO,

fore & p. t. Facultatis

ut & SERENISSIMI
Curia Aulicæ Vice-
trono ac Præceptore
onorando,

NTIA

e Honores; Privilegia
nsequendi,
submittit

H. EZSHARD
ANUS.

prilis H. L. Q. C.

ER G Æ,

TERI, A. M. DC. LXV.

